

HENRICI DE HASSIA DE LANGENSTEIN
PARISIENSIS ACADEMIAE PROCANCELLARI

EPISTOLAE PACIS

SECTIO III.

PROGRAMMA
FESTO MICHAELIS
A. MDCCCLXXIX
IN
ACADEMIA IULIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
S. TYPOGRAPHUS ACADEM. VID. SCHNORR.

PRORECTOR

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

C V M S E N A T V

C I V I B V S L I T E R A T I S

S. D.

Celebramus iterum feriam anniversariam,
quam christiana ecclesia memoriae benefi-
ciorum a Deo per ministerium coelestium
spirituum in homines collatorum destinavit. Re-
vocat haec nobis in memoriam incomparabilem vi-
ctoriam, quam divina manus ab infensissimis huma-
ni generis hostibus maxima pompa reportavit, et
salutem suae ecclesiac paravit.

Gloriosissimi huius et maiestate pleni eventus
contemplatio admonet nos, ut non solum Deo,
constitutori nostrae salutis, devoto pectoré aga-
mus gratias, quod sua potentia hostem proiicere,
illius conatus irritos reddere, et coetum fidelium
tueri ac conservare voluerit; sed etiam supplices
ab eo contendamus, velit porro suo praesidio ve-
ram ecclesiam servare incolunem, et contra insi-
dias satanae et illius sociorum protegere. Invoca-
mus



mus simul patrem coelestem, ut sinceros et cordatos excitet viros, qui imperterritum sumant animum, afflito et presso proborum coetui succurre, et defensores membrorum ecclesiae se ostendere, ut a periculis hostium insultibus et corruptelarum illecebris religio servetur immaculata.

Talismodi generis viros in populo Dei extitisse plurimos, qui omnibus viribus in id incubuerunt, ut pro honore Dei et cultu illius puro masculine certare non intermitterent, sacri docent scriptores, et vel exempla Eliae 1. Reg. 19, 10, ac Matthiae 1. Macc. 2, 25. probant.

Ad horum classem pertinere reputantur illi, qui in gente hebraeorum zelotae vocati sunt. Hi ad exemplum Pinchasi Num. 25. fervore quodam ac impetu pro cultus Dei integritate ducti, aut pro Deo zelo correpti in facinorosum eo ipso momento, quo scelus committi viderent, impetum facere, et sua manu facinus vindicare, non dubitarunt. Quam suam licentiam, aut hoc ius, ut dicebant, ex traditione Mosis sibi datum venditarunt. Dicebantur hi iudeis צדוק et graecis ζελωται, quorum in Talmude et Iosepho passim fit mentio. In glossa ad Sanhedrin circa finem ita describuntur: צדוק קנהו ש' טקום פגען ב': אומן כשרים חותקנאר שרוין את התשובה Maimonides in suo Perusch hammischnaiot in hunc locum pluribus et distincte de illis agit.

Hoc modo et Paulus ante conversionem קנא aut ζελωτης fuit, persecutus et morti tradens christianos, sicut ipse haud obscure significat Philip. 3, 6. κατα ζηλον διώκων την ἐκκλησίαν.

Men-

Mentio sit apud Lucam cap. 6, 15. et in Actis 1, 13. apostoli qui Simon ζηλωτης appellatur, sed ab Evangelista Matthaeo cap. 10, 4. cum Marco 3, 18, καυαντης dicitur. Haec varians appellatio unius eiusdemque viri speciem habere possit, ut unum nomen patriam, ex urbe Cana ortum, alterum characterem animi denotaret. Non vero hoc esse diversum nomen, sed alio saltem idiomate, iudeis tunc temporis vulgari, et graecis usitato, expressum, ex significatione utriusque et originis harmonia probatur. Quanquam enim ex etymologia vel maxime consona non videatur firmum peti argumentum, quod ex accidenti factum esse potuerit, ut esset ζηλωτης, et tamen ex urbe Cana oriundus; nihilominus argumentis confirmari ac suffulciri potest, etymologiam vocis a Mattheo usurpatie non ab urbe Cana derivandam, sed a voce chaldaica צדוק. Consuetum hoc illis temporibus, cum personae plura haberent multas ob causas nomina, ut nomen inter iudeos dialecto syro chaldaica expressum, inter graecos vel latinos, significatione ipsa retenta, graecam vel latinam referret formam et originem. Vti discipula illa Act. 9, 36. iuda is dicebatur צביה, graecis Διηγεις, unde Lucas diserte addit, διεγιουετη λέγεται. Alter apostolorum Simon, iudeis Kephas, graecis Πέτρος. Alius apostolus iudeis Thomas, graecis Didymus, ita ex quorundam conjectura non vana, Silas iudeis, idem Latinis Tertius Rom. 16, 22. Non quod semper retineretur vis vocis, cum plerumque diversa prorsus et significatione et origine haberent nomina; sed quod saepius hoc continget, si ipsum

ipsum nomen commodam admitteret versionem. Quemadmodum Iohannes dicitur etiam Marcus Act. 12, 12. ita Daniel vocabatur Belsazar, et Serubabel Schesbazar; qualia multa exempla in V. T. et in N. T. obvia.

Non a veritate alienum, Simonem vel ante vel post conversionem, bono animo, zelo Dei corruptum, insigne aliquod perpetrasse facinus, unde Ιωάννης vel Σιμόνης postmodum dictus. Ita post conversionem duo Christi discipuli Iacobus et Iohannes, zelum, immaturum licet, prae se ferebant, ultrui facinus Samaritanorum Luc. 9, 54. Forte Zelus aliquis successerat vel his vel aliis discipulis, vel et Simoni huic; unde non improbabile videtur, ab ipso Christo Simoni hoc nomen Ιωάννης impositum. Sicuti Iohanni et Iacobo nomen dedit οὐαγέτες sive θεοί Σαραπῖς Marc. 3, 17. vel a simili zelo perpetrato vel illo tentato. Liberum autem cuivis esto hac de re iudicium.

Neque porro negligendum, quod plurimum momenti affert argumento huic, quod nonnulla exemplaria habeant non κανόνης, sed geminato κανόνης vel κανόνης, ut ab aliis & inter geminum sit insertum, vel alterum & omissum. Atque ita si scribatur geminato κανόνης, sicuti τὸ δὲ in voce Ιωάννης geminatur, ex chaldaeorum Paēl, facile patet, inanem esse derivationem ab urbe Cana, ubi simplex κανόνης, sed κανόνης et γιλωτῆς unum idemque significare.

Ceterum ex γιλωτῶν historia patet, non nisi bonos viros vel esse vel haberi, qui insolens tale facinus committant, zelo quippe perciti pro Deo et ipsi-

ipsius sancto nomine, vel pro iusta illius causa. Fuerunt tamen semper et sunt in ecclesia aliqui, qui prudentia destituti, imo sufficienti cognitione veritatis carentes, pietatis opinione, et ut Christus de talismodi inter iudeos γιλωτῶν inquit, qui, si occidant apostolos sive pios, cultum se Deo praestare credunt. Neque sunt pietati genuinae nonnulli saepe magis offensi, quam qui superstitione imbuti, vel praecognitis opinionibus temere inhaerentes, quicquid cum ipsorum non convenit moribus atque opinionibus, extinctum et extirpatum velint. Et perniciosissimi illi sunt, et si nesciant, veritati et pietati verae; quod exemplo Saulis aut Pauli patet, qui γιλωτος Phil. 3. suum statum vocat, quo erat ελασθόνεος καὶ διώνυσος καὶ μεσσαῖος 1 Tim. 1, 12. sed in αὐτοῦ quidem istud, optima intentione se fecisse inquit. Sed quid hoc? optima intentione et in αὐτοῦ temere et audacter occidere probos? unde dolet Paulus. Id sane semper in ecclesia usum venire, non sine dolore experiuntur quovis seculo pii. Misericordum eorum γιλωτῶν, illi enim, si patientia et constantia pliorum tandem vincantur, qualem in αὐτοῖς ardorem habuerunt, retinent ἐπαγγεῖλα, ut Pauli exemplum testatur, ac ut vehementer antea adversati solidae pietati et virtuti, ita pari studio eam promovent et protegunt. Vt autem his in zelo peccantibus, ut convertantur, et veritati solidae resistere desinant, seque ei dedant, precanum et optandum; ita aliis nonnullis, rariis licet, in ecclesia sinceris et genuinis γιλωτῶν, qui pro necessitate temporum in ecclesiae salutem spiritu Dei animantur, et obstatula, salutem ho-

minum et gloriām Dei impedientia, animose removent, frenum non iniiciendum.

Si igitur in ecclesia aut inter Christianos offendantur, qui divino instinctu impietatis praesidia detegunt et removent, pietatis vero emolumenta parant, Dei in his nutus submissō affectū venerandus,

Vos vero, Cives charissimi, omnem diligen-
tiam adhibete, ut ab omni immaturo et fucato ze-
lo, a lite, offensis, abstineatis, neque permittatis
animum Vestrum frivola ira inflammari. Servate
potius concordiam et mutuum humanitatis vincu-
lum, ut tranquillo corde animum inter labores
Vestros tenere possitis praesentem. Indicite vero
bellum imperitiae, omniumque vitiorum generi-
bus, tanquam Zelotae pro virtute decertaturi, at-
tentati in salutem Vestri et proximi. Sic tali Zelo
beati, Deo accepti, nemini molesti eritis, et con-
scientiam Vestram verae pietatis exercitio tranquil-
lam reddetis.

Perlegite insimul hanc, quam Vobis exhibe-
mus, ultimam sectionem ineditae Epistolae Pacis,
ab Henrico de Hassia seculi XIV. scriptore clarissi-
mo, pro componendis dissidiis in electione Pontifi-
cis Romani exortis, publicatae, cuius partes prior-
res haud ita pridē communicavimus, et ex huius
autoris argumentis ponderatis dijudicāte, an Zelus
huius viri, qui eum pro bono ecclesiae instigavit,
fuerit iustus et laudandus, an vero inconsideratus
et taxandus.

HENRI-

LXV

HENRICI DE HASSIA DE LANGENSTEIN

EPISTOLAE PACIS

SECTIO III.

Pars LXXVIII.

A. Testimonio Cardinalium credendum est in hoc, quod concernit ecclesiam, ut est, quod elegerunt etc. modo farentur clare, se illum archiepiscopum elegisse etc. De hoc vero, an metu movebantur ad eligendum istum, non est eis standum contra facta, scripta etc. contrarium praetendentia; quia hoc concernit quemlibet singulariter. In hoc enim quilibet est in suo testimonio singulare, et causam singularem agit. Modo nullus potest esse testis, nec est cuiquam credendum in tali casu contra testimonium autenticum literale, et verba et facta contrarium clare praetendentia. De eodem superius plenius habuisti P. LX. Igitur pensatis his, et quae in praecedenti parte dixi, mirari non sufficio, quomodo Cardinales non solum audiri, sed soli audiri volunt, primo electo audienciam penitus denegantes. Nonne in Papam a Cardinalibus electus, et ab eisdem solenniter et concorditer coronatus, et in possessionem positus, priusquam removeatur, audiendus est? nonne spoliatoribus datur audientia, et restituuntur spolia, si praetendunt se ius habere? Alexander III. dicit: de violenta electione, quam de canonica institutione agi debere, cum quis dicit, se de possessione ecclesiastici beneficii violenter electum, in qua ab adversario asseritur, non canonicē fuisse institutum, hac ratione, quia praedo etiam summo rigore iuris est resti-
tuen-

tuendus in possessione sua, quo usque constiterit unquam de eius possessione, de rest. spol. c. 6. Quomodo igitur non illi audientia danda est, qui scilicet eis positus in possessione Papatus? Iterum, si Cardinales non contradixissent electo, nisi post annum, vel quatuor, fuisse audiendum utique contra eos opposentes se ei, et modo, quia tempus nihil videtur ad hoc facere, vel si adeo, mora temporis, quo secum pacifice absque contradictione steterunt, est sufficiens ad hoc, ut introductus in possessionem sic publice et concorditer audiatur. Nonne ex omnibus factis circa eum evidentior, vel non minus evidens suspicio gignitur, ut dixi, quod ille sit vere Papa, sicut vel quam ex omnibus, quae ex contradictione Cardinalium apparuerunt de contrario? Compara latitudines illarum apparentiarum ad invicem, et videbis. Et si non lis inveniatur, invenietur tamen sufficiens color, ut audiiri debeat super declaratione iuris, quod se in Papatu dicit habere. Rursus cum electus longo tempore concorditer omnibus apparuit esse Papam, quomodo eo non auditio propter solam conditionem Cardinalium statim potest esse evidens, ipsum non esse Papam, contra tantam apparentiam, quae praecesserunt, ad hoc, quod esset Papa? Quomodo contra huius apparentiam, antequam per iudicem, ad quem spectat, omnibus ex utraque parte ab eo diligenter auditis, sententiatum sit, solis Cardinalibus crederetur, quod nullum ius haberet in Papatu? Quamvis enim oppositio Cardinalium suspicionem faciat, et movere possit iudicem ad examinandum factum ex utraque parte, et ad cirandum partem, non tamen sufficit per se iudici ad sententiandum, nec aliis ad credendum, contra sic electum et in possessionem possum, sine aliis multis quae legitime probari possunt circa easum illum. Hinc nullam potestatem habet in Papatum collegium Cardinalium; nisi, sicut ceteri episcopi, presbyteri et diaconi, cum nullam iurisdictionem habeant in hoc, ex iure divino vel institutione Dei, eo quod in tota scriptura divina de statu Cardinalium mentio non sit. Omnem igitur quam habent potestatem, habent a summo pontifice. Sed non legitur, illum ipsis super se aliquam potestatem contulisse. Rursus consiliarii alicuius praelati vel principis, ex hoc, quod consiliarii sunt, non habent aliquam specialem potestatem super praelatum vel principem; sed Cardinales inquam huiusmodi non sunt, nisi consiliarii Papae. Per accidens est, quod collegium Cardinalium habet ius eligendi summum pontificem, quod ius et imperatoribus et aliis episcopis concedi potest, et ita per accidens aliqua alia privilegia habent, quibus alii praelati et electi non gaudent. Ex quibus concludi non potest, quod aliquam specialem iurisdictionem vel potestatem habeant in Papam, vel in se gerentem pro Papa.

Pars LXXIX.

B. Vbi notorium est, eum, qui rapuit, raptorem esse, non restituitur; sed ubi est dubium de facto, restituitur, et datur ei audientia, et defensio permittitur ei, in iure, quod se praetendit habere. Similiter aliquem esse notorie apostaticum vel haereticum, facit, quod de iure non est sibi audientia danda, quare declaratio, quod primo electus sit notorie intrusus et apostaticus, sequitur eum non audiendum esse. Imo cum notoria roti mundo esset in electione primi impressio et compulsion, poterant Cardinales ad secundam electionem procedere, sine declaratione per viam iudicii, quod primo electus non esset Papa. De potestate etiam collegii Cardinalium unum dixisse verum non videris. Numquid ad quem spectat institutio alicuius, ad eundem pertinet destitutio eiusdem, si iste non haberet superiorem. Imo enim primas habet insti-

instituere episcopum; quem tamen non potest destituere; eo quod tam primas qua constitutus ab eo habet superiorem, quem constituit episcopum posset ex causa aliqua hoc exigente, destituere. Institutio autem summi Pontificis spectat solum ad collegium Cardinalium, quod non habet superiorem, qui sibi reservet destitutionem summi Pontificis. Igitur causa et casu emergentibus ad collegium Cardinalium pertinet, Papam per eos electum deponere, vel deponendum iudicare. Iterum fede vacante, capitulum cuiuslibet ecclesiae cathedralis habet potestatem iudicandi et puniendi haereticos et schismaticos etc. eiusdem dioecesis, et collegium Cardinalium peioris conditionis in hoc esse non debet. Hic scio, te primo negaturum ex his, quae praemisisti, notorium esse primo electum apostaticum etc. Atque audi, quomodo Nicolaus Papa dist. 33. dicit clare, electionem summi pontificis esse debere puram, sinceram atque gratitam, et si quis contra hoc, quam per seditionem vel presumptionem, aut per quodlibet ingenium electus, ordinatus aut intronizatus fuerit, perpetuo anathemate cum suis sequacibus, tanquam sanctae ecclesiae separatus abiiciatur, nec aliqua eidem super hoc audientia reservetur. Vbi autem maior seditio, protervior praefumtio, et calidius ingenium, quam erat Romanorum in electione Barrensis, qui vocatur Urbanus VI. ut patuit superius ex narratione casus, et ex deductis inde. Igitur nequaquam audiendus est, sed excommunicatus habendus.

Pars LXXX.

A. Audi quæsio, quod sequitur in eodem textu: eui, inquit, sic intruso quisquis adhaeserit, vel qualemcumque tanquam summo Pontifici reverentiam exhibuerit, aut eum defendere in aliquo praesumferit, pari sententiae sit mancipatus. Igitur Cardinales, qui dictum Urbanum

banum VI. quem intrusum, ut credunt, sciverunt, et nihilominus secum steterunt, per plures menses, et eum publice in omnibus ut Papam tractarunt, omnino non sunt excommunicati. Contra Alexander III. canone sacro dicit: quod qui per metum adductus excommunicato communicat, licet metus culpam attenuet, nihilominus excommunicationis labe credimus inquinari. Rationem addit, quia pro nullo metu debet quis peccatum mortale incurrire. In qua ratione Alexandri clare insinuat, Cardinales qui in dicto casu, non obstante quoenamque metu, communicando Urbano, si apostata, ut credunt, erat, mortaliter peccarunt, ut patet per Concilium Vienense. Quomodo igitur Cardinales excommunicati, si sciverunt et tenuerunt eum intrusum, corpus dominicum de manu eius receperunt? quomodo mortale peccatum tam diu continuarunt? quomodo id continentates coram Urbano missas solenniter celebraverunt? Verè nunquam res huiusmodi audita est, de tantis et talibus hominibus, quod talia, et metu infinito urgente, facte facere vellent. Rursum doceant de tali et tanto metu, qui merito eos tanto tempore stare cum apostatico, et omnia quae fecerunt, facere compulit ut solvant obiecta q. 3. 2. num. in partibus. Decretum etiam Nicolai 23. dist. in casu quando seditione quis eligitur, sic, quod praecise seditione et timore moti elegerunt, alias nullatenus factum etc. Omnino non sequitur, ibi fuit seditio et timor, item elegerunt eum timore et non intentione, ut esset Papa, ut apparuit superius P. 12. quomodo et aedes dicere, Urbanum notorie apostamat esse, non advertens textum de appellationibus reincidentantem, cum multa, inquit, dicaatur notoria, quae non sunt, providere debes, ne, quod dubium est, pro notorio videaris habere. Notorium quidem est, in electione Urbani concurrisse tumultum, non autem quod intentionem ut esset Papa, eligen-

eligendo non habuerint, et huiusmodi. Imo si aliqui de quacunque intentione iudicaria in foro exteriori convinci possint, maxime et isti. Hinc si non habes quod respondreas istis per similia, ne sermonem in immensum protrahas, fini ut appropinquemus, ad aliam velis transire materiam.

Pars LXXXI.

B. Mirum, Vrbanus afferit, ego sum Papa, Clemens affirmat, non, sed ego Papa sum. Vtque scit, quod solum unus Papa esse debet, igitur uterque scit, quod unus eorum est falsa apparentia deceptus et fascinatus in errore. Et non potest ibi esse ignorantia invincibilis, excusans illum, qui habet partem falsam, quia nulli eorum est certum, quod collegium diligentiam fecit, pro sciendo veritatem suaq; partis. Quare quilibet eorum timere debet verisimiliter, ne valde peccet, se non solum assecurando et figendo omnino in opinione sua contra alium, sed pugnando. In hoc enim ex utraque parte est quidem temeritas et proterva animositas. Imo non quaelibet pars conscientia laboret, investiendo veritatem, et paratam se exhibeat iudicio ecclesiae. Timeo, ne uterque damnabiliter se sustineat. Audi quaeſo B. Bernhardum allegatum a Papa Benedicto, huius nominis XII. in expositione Matthei, tractatu LXXI. can. i. scribente illo; fiat voluntas tua: Haec approbemus et appetamus, inquit B. Bernhardus, quae placere Deo indubitanter scimus; ea vero omnibus modis odiſſe deberimus, de quibus certum est, quod oderit ea Deus, ut est apostasia, iniquitas etc. In his vero rebus, de quibus certum nihil possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat. Pendeat inter utrumque, aut saltē neutri parti nimis adhaereat, cogitans semper, ne forte pars altera plus placeat Domino, et parati sumus ipsius voluntate

ſententiam sequi in quacunque parte, eam cogitavimus inclinari. Nemo igitur super his, quae certa sunt, haesitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo ibi in dubiis iudicium benedictum praecipiter ad sententiam. Haec iste. Timeat igitur Vrbanus, timeat et Clemens, timeant Cardinales, ne terribilis illa comminatio eis eveniat Amosi prophetae c. IX. ubi, cum praefens factum a longe contemplatus, vidit Dominum super altare statem, et iubentem percuti cardinem templi, propter avaritiam in capite omnium et in supremo praefidente et praelatis. Venditio enim sacerdotii olim extinxit ignem sacrificii, dicente B. Augustino, quod ignis sacrificii, qui per LXX. annos babylonicae captivitatis sub aquis erat extinctus, et Antiocho Epiphane vendente sacerdotium Iasoni, et poena quam describit propheta, imaginem indicans culpabilissimae avaritiae, qua Pontificatus et Decanatus et dignitates ecclesiae venduntur. Verum dicit propheta: novissimus eorum gladio interficietur, non erit fuga eis, et qui fugerit, non salvabitur; si descenderint usque ad infernum, inde manus mea reducet eos, et si descenderint usque ad antrum, etiam detrahatur eos, et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos, et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.

Pars LXXXII.

A. Audi, unde coniecurat quendam, quis eorum verisimilius verus ecclesiae sponsus sit, elicere poteris. Considera, quis plus doleat et ingemiscat de malo laetitiae sponsae, pro qua ambo litigant, quis cordialius afficiatur, alacrius laboret, fleet, processiones et publicas deprecationes, quae Parisis advenientibus tribus Cardinalibus siebant, tu scis, ad ecclesiae concordiam ordinationem et bonam dispositionem et gubernationem fieri pro-

procuret. Idem ex animi passionibus conjecturare probabilitter poteris, quis eorum videatur verisimiliter fidelis et verus ecclesiae sponsus esse. Qui enim prius sponsam in ecclesiam vellet desolari et dividi, quam ab incepto cessare, quomodo verus et legitimus sponsus eius est? Vnus sapientissimus Salome in hac via iudicii, ex animi passionibus adeo doctus, dicebat mulieribus coram se litigantibus super infantulo, cuius esset, afferte mihi gladium, et affectibus cordium exploraris, illi earum, quae ex iudicio dilectionis refugit sectionem, adiudicavit infantem. Si ergo ecclesiam invasuros principes simularent, atque se reducturos eam temporalibus ablatis ad pristinum, quem ante Constantinum imperatorem statum habebat, aut si litigatoribus pro papatu horribilia et infinita a theologis praedicatoribus veritatis mala enumarentur et proponerentur, ex eorum litigio in ecclesia oritura, ut quomodo tandem perseverante lite ubique erunt duo capita, ut cuiuslibet dioecesis duo episcopi, monasterii duo abbates, cuiuslibet ordinis religiosorum duo generales, uniuscuiusque parochialis ecclesiae duo plebani, ad quamlibet praebendam, dignitatem duo canonici, duo praetati etc. et quomodo iustitia in iudiciis, appellante uno ad unum, et altero ad alterum, exulabit, fructus correctionis negligetur, bonum obedientiae perdetur, non sacerdotes celebrabunt, non episcopi ordines dabunt, excommunicabunt, in damnationem ecclesiae consecrabunt, mali erigent cornua, boni flebunt viidentes enormia, laici clerum divisum et errabundum cernentes, de fide et lege Christi dubitabunt; gentiles in se divisos christianos percipientes invadent, Iudei, Christi inimici, exultabunt, et suum sperantes de propinquuo venturum Messiam machinationibus vigilanter instabunt, divites praelati et clerici delicati populo exosi impugnabunt, et haeretici plurimi hodie in ecclesia la-

tentes excitabuntur. Quis nescit, quomodo ex contentione Iesu et Iohannis, filiorum Oniae declinatum esse regnum israël ad ritus gentilium, adeo ut etiam nomina gentium sibi imponerent, ut Jesus diceretur Iason, et Iohannes Menelaus, occasione quorum surrexerunt in Hierusalem filii Beljal, introducentes signalia, in quibus dogmatizabant de ritu gentilium, ut refert Magister historicorum circa finem hist. Mirum, si haec et alia ecclesiae mala litigantium pro summō Pontificio auribus clare insonarent, animi passiones verbis, gestibus et gemitibus exumpentes, quis secundum Dei dispositionem Papa versus sit, iudicio Salomonis, non patefacerent. Audisti considerationem Principis sacerdotum ad citissime dirimentum illatum schisma valde movere debentem. Dic, si habes, sit inter principes sectores in id ipsum exhortantem.

Pars LXXXIII.

B. Non modicum miror de processu secularium principum in hoc facto. Quid enim sibi vult, quod de quaestione spirituali seculares principes se intromiserunt, et de illa eorum opinionem et determinationem ad hanc vel illam partem clerum tenere non solum affectant, sed quasi compellunt. Nam quodsi admittatur, quod secularium principum informatione, a consilio cleri non sufficienter examinata, nec discussa, delinetur populus ad acceptandum hunc vel illum pro Papa, statim fiet, quod, quem seculares velint Papam, pro libito procurabunt. Annon est contra statum et prerogativam cleri, ut in quaestionibus spiritualibus et casibus seculares principes, habendo concilium cum quibus placet, conentur, ut omnes sequantur voluntatem eorum? Non est iste modulus et processus naturalis et ordinarius, sed ut clerus omnem quaestionem et casum, factum fidei et legis con-

cernentem, libere et primarie determinet et discutiat, quod tenendum et regi et omni populo, et post suae determinationi, seculari brachio contra rebelles, si opus fuerit, invocato, obedire cogat. Quomodo ergo Dominus Imperator antiquus, qui ecclesiasticae concordiae et unitatis tutor praecipuus et conservator esse debuit, dissensione grandi percepta circa Papatum, initiis causae utriusque partis, per sapientes cleri non sufficienter ventilatis et discussis, et an opus esset concilio generali, eius intentione et procuratione cum aliorum principum adiutorio convocabando, statim parti primo electi se coniunxit, et post mortem filio suo, quem sibi successorum procuravit, eandem partem, qua affectione nescio, iunxit indeclinabiliter sustinendam et defendendam. Ecce, qui primus motor esse debebat in tollendo dissensionem cleri circa electionem summi Pontificis emersam, quasi primus uni parti favens, schisma et dissensionem maioravit, nescio si inchoavit. Ecce et filius Imperatoris, in Francofordia principibus laicis, ut veridica relatione didici, convocatis, cum aliquibus episcopis et archiepiscopis, magistris ex parte et exercitatis in armatura, qua in regulis iuris propositum est, quis censendus atque tenendus sit Papa. Vbi velociter vix per horam stantes determinaverunt, primo esse adhaerendum, Papam sub gravibus poenis ad eorum determinationem compellentes. O utinam Romanorum Imperator semper augustus, et illustrissimus princeps, rex Francorum, priusquam utrinque se determinassent, illo vere aureo usi fuissent consilio Bruti: non gemeret scissus modo tantis cladibus orbis. Brutus decreverat primos discordiae inchoatores et dissencionum seminatores, absque aliorum adiutorio, ut soli concurrant, et inter se, si velint, pugnant, dimittendos, ut vincat quem Deus approbaverat, aut victorem esse permiserat, victusque, si id vi-

ctori

ctori placeat, demergatur in Tiberim, vel in exilium mittatur. Cessabunt fane cito bella civilia, si praesumptionibus deessent temeritatis adiutores. Numquid igitur schismatis illi causa sunt, et illud firmant et suscitant, qui statim partibus se addentes eas sustinent et defensant. Qui tales sunt, ex historiis ignorare non deberent, quantos tumultus et strages dedit illa collisio, quando filius Petri Leonis adversus Innocentium V. conatus est ab aquilone transscendere. Nonne grandem stellarum partem secum traxit ruina eius? Quis nescit Aegidium Tusculanum, quis Petrum Pisanum, cui nullus vel vix in curia similis erat. Quis recenseat episcopos, qui in tota fere Italia corruerunt. Profecto mirum, dum ruina eius extet aetatis nostrae memoria, quempiam adeo misere ambitionis cupidum esse, ut ecclesiam scindere non formidet, et qui non malit se deleri, quam ut pro eo tanquam in ecclesia fiat turbatio, et malorum, ut bene tetigisti, horrenda multiplicatio. Vtique esse non poterit, quin misere deiiciatur, qui misere horum occasio esse non veretur, quando navicula Petri fluctibus iactata, Christus dormiens expergefiet precibus, et quando excitabitur, tanquam dormiens Dominus, et tanquam crapulatos a vino percussurus inimicos suos in posteriora, et opprobrium sempiternum daturus eis. Laetos enim quomodo haberent exitus, quae malo inchoata sunt principio, auctoritate discordia, quae certissime iniuriantis et defectus indicium est. Et si haec non moveant, audiatur B. Dionysius, scribens Novato, Romanae ecclesiae presbytero, qui episcopatus cupiditate magnum in ecclesia schismatis suscitavit periculum, in haec verba: Dionysius Novato fratri salutem. Si invitatus, ut ait, in hoc venisti, ostendes in eo, si decedas volens. Oportuerat quidem ecclesiam pati omnia pro eo, ne scindetur ecclesia Dei, et erat non inferior gloria, sustinere

K 2

mar-

martyrium pro eo, ne scindatur ecclesia, quae est illa; ne idolis immoleretur. Imo secundum meam sententiam maius hoc puto esse martyrium. Ibi namque pro sua unusquisque tantum anima, in hoc vero pro omni ecclesia martyrium sustinet. Sed nunc sive tu suadere, sive etiam cogere potes fratres redire ad concordiam, maius tibi erit emendationis meritum, quam fuerat culpa commissi, quia id iam non imputabitur. Hoc etiam laude dignum dicetur. Si vero illi in incredulitate et schismate permanferint, salvans salva animam tuam etc. Audite haec orines qui iudicatis orbem simul in unum. Rex et Pontifex, sacerdos et princeps auribus percipite, quam vitanda sit ecclesiae scissio, quantumque vae illis, quorum occasione schisma oritur, et quanta sollicitudine laborandum sit illis, quorum interest, pro celeri reunione ecclesiae, quantique haec sollicitudo est meriti, et opposita negligentia demeriti. Accendant insuper reges et principes zelum rectum atque ferventissimum ad Dei ecclesiam felicissimae memoriae Constantini imperatoris, qui ut patet L. X. ecclesiasticae historiae, ortu schismatis ex parte Ario percepto, ita ad clerum christianum, quem super hoc congregari fecit, loquebatur: Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, et iam nos a vobis recte iudicantur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter Dei solius inter vos expectantes iudicium. Vos enim a Deo dati estis nobis Dii, et decens non est, ut homo iudicet Deos, sed iste solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Dominus discernit, imoque cunctis iurgiorum negotiis suo discutiendis ingenio omissis, etiam quae ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distingue. Haec iste. Quia post multas disceptationes cum Ario fidei veritate, divino miraculo inspiratione presbyteri cuius-

iustitiam servata, et declarata, sacerdotum concilii ad ipsum delatam sententiam, tanquam a Deo datam venerabatur. Cui si quis tentasset obniti, contra divina statuta venientem, in exilium se protestabatur acturum. Auscultare, quid dicit Iohannes Papa: si imperator est catholicus, quod salva ipsius pace dicimus, filius est, non praeful ecclesiae, quod ad religionem pertinet discere ei convenit, non docere circa dispositionem coelestis ordinis nihil usurpet. Ad sacerdotes etenim Deus voluit, quae ecclesiae sunt disponenda, pertinere, non ad seculi potestates. Verum si ex quaestione aliqua spirituali principes adverterent clare, grave periculum fidei vel reipublicae imminere, et seditiones et schismata statim oritura, si remedium aliunde adhiberi non potest, regalis et imperialis providentia se videtur licite intromittere posse. Sic Onias, summus sacerdos, ad regem et infidelem se contulit, communem in hoc utilitatem et sui ipsius salutem conspiciens, videbatur enim ei summa regalis providentia pacem dare rebus. Sic Theodosius rex dissensiones ex parte Symmachii Papae invadescere videns, commisit potenti Papatum etc. vide D. 17. Cur igitur, cum antecessores beatissimae memoriae principes per dissensionem et schismatum directionem ita ferbuisse audiatis, et cum sciant omnes vestrum quemlibet proterviae volentem suam partem contra aliam perpetue defendere et inanimadvertere posse, inanis gloriae fastus, vel quem huiusmodi vestram nobilitatem degere cogit, ne ad concordiam, nescio qua consideratione suspensi, convenientis. Cogitari poterit, vos de dilectione ecclesiae ex visceribus non dolere, sed velle diffundulare, occasionem expectantes, maius ponendi ad temporalia eius pinguis, schismatis diurnitate interveniente, ea nunquam, vel non integre reddituros. Quae adverte, quomodo non parum ex vobis exivit divisio eccl.

ecclesiae, eo quod partibus statim vos adiunxitis, et favendo contra invicem animastis et confortastis. Imo ut ad unionem reducatur ecclesia, primum vos necesse est coniungi, sicut primo divisi eratis. Et quae iam alia via ad concordiam restat, nisi quia adhuc coram neutro principum, regibus Romanorum et Francorum loquor, utraque pars personarum vel in suis legatis debite auditae sunt, ad audientiam solennem recipiatur coram eis, vel eorum deputatis, in aliqua civitatum congregandis, ubi utraque pars ultimata avisata et munita audiatur, et eis auditis, quomodo ulterius agendum, decernatur. Si forte pompa et gloria prohibente, neuter principum se humiliando hanc viam inchoare voluerit, Urbanus et Clemens se humiliant, considerantes ecclesiam non solum Romanorum et Cardinalium, sed etiam eorum occasione divisionem, hoc quod dictum est a praesentibus dictis, ambo supplicatorie requirant, et hanc viam eis offerant. Et erit, Domino miserante, in concordia, unde discordia oriebatur.

Pars LXXXIV.

Ergo pensato diligenter praepostero secularium principum in praesenti negotioso processu, atque casus in se novitate, et tanquam ad ea quae sunt facti, quam quae juris sunt, ut visum est ad utramque partem argumentando et solvendo ambiguitate, et fere inexplicabili perplexitate, eos qui neutraliter usque adhuc se tenuerunt, ratione in id quo quod securius erat, deflexos. Laudo prae ceteris et dignum iudico, si esse possit, hos solos facti totius iudices constitui debere, et praecipue matrem veritatis, et nutricem aequitatis, Parisiensem universitatem, secundum modum et finem suae institutiones in affectatissimae, veritatem circa omne scibile investigantem et speculantem, nullis occasionibus a linea veritatis

tis obliquabilem, quam in hoc casu ecclesiastici disturbii, non sic, ut alia collegia statim in partem unam praescriptasse sententiam maximum est.

Pars LXXXV.

Universitas Parisiensis est in toto orbe famosa et autentica in determinatione veritatis in casu dubio; ideo cum christianorum utrosque praesidentes contra se dividii cernerent, et partem contra partem viis omnibus, acti schisma perpetuare intenderent, se se munire; cur tota diligentia se ad investigationem veritatis in hoc casu non convernit, ut luce clarius patefacta veritate schisma evanesceret? Cur non vias scrutata est varias et ingeniosas ad ecclesiae reunionem et schismatis directionem? numquam in hoc casu potius declarationi veritatis ingenti studio debuit invigilare, quam sub umbra neutralitatis, fine fructu otiose pigritari. Exsurge igitur, qui dormis, et emitte lucem tuam, illuminare his qui in tenebris et in umbra palpitant ignorantiae, obscura, praedica, insta, opportune, importune, utrique litigantium epistolas scribe, ad concordiam exhortantes, et mille modos et vias ecclesiam ad unionem reducendi eis commenda.

Pars LXXXVI.

Sic se habuit, ne in tam perplexo, ut visum est dubio, contra praetactam S. Bernhardi exhortationem suam praecipitaret sententiam in erroris firmamentum toti orbi ad ipsam ut lucerna mundi, praefulgidam oculos habenti, cuius determinatio post crebras disputationum inquirendae veritatis gratia, ut ei moris est, inter se pugnas concorditer habita, absque dubio prae ceterorum quorumcunque collegiorum circa ecclesiam affectatione suspecta ab omnibus acceptaretur et teneretur, et rationabiliter, cum sit utile, et antiquitate et doctrinae soliditate te

te famosissimi sapientum de omni regno christianorum ad hoc solum institutum collegium, ut tota eius intentio et studiosa lucubratio absque alio respectu inquisitiogi veritatis practicae fundo insistat. Idcirco si informacionem casus et facti a principio plenariam habuisse vel adhuc haberet, nihil puto plus expedire ad praesens dirimentium schisma, quam quod publice et solenniter libertate utrinque disputandi ei permitta, unam partem scholastice determinaret, in hoc praeparando materiam, et dando occasionem praelatis ecclesiae, ad quos spectat determinare, autorizare et obligare in concilio generali, absque cuius ritu, conventu credo vix unquam posse ad plenum corda quietari omnium. Esto namque, quod primo vel secundo electus sine ampliori et autentiori declaratione iuris obtineat tandem viam facti ad pacificam deductus possessionem, nihilominus corda latenter torquere non desinet scrupulus plurimorum, quibus constat et constitit ambiguitas iuris et facti in hoc casu, atque quomodo processum fuit ab initio in hac re a principibus et aliis. Nunquam de successore utriusque, et successoribus successorum tale dubium erit, quale nunc de Urbano et Clemente, cum ab illis eligerentur, de quibus dubium est, si Cardinales sint, vel cum sine novellis vocatis Cardinalibus contingat, quempiam successorum & duabus partibus esse electum.

Pars LXXXVII.

Quid intelligas per concilium generale, quomodo que convenienter congregari possit, non video, tum propter innumeram episcoporum, praelatorum, doctorum, longe latius per orbem dispersorum multitudinem, non sine maximis dispendiis, periculis et sumtibus congregabilem, tum quia iam quasi incondescensibiliter divisi

visi sunt, hi pro uno, et alii pro alio. Verum longe maior et periculosior facta, ut verosimillimum est, praelatorum in Concilio divisio totam ecclesiam concuteret, sequentibus nisi bellis et stragibus, spe ablata, de cetero clericali concilio in concordia veniendi. Ergo quia error novissimus fieret peior priori, non expedit in hoc casu congregatio concilii generalis. Rursus hanc quis faceret? Imperator non est, et ab illo pro papatu litigantium, cui favor confirmatus est, nondum coronatus. Imo quia partem contra regem Franciae et reges alios se fecit, ad congregandum concilium eius parva est potestas, autoritas invalida, et voluntas suspecta. Iterum pars adhaerentium et faventium Urbano longe numerosior est, quae in concilio condemnaret partem regis Franciae et sibi adhaerentium, minorem quidem numero, sed maiorem pondere et veritate, ut ex partibus 61 et 63. colligere potes.

Pars LXXXVIII.

Si duo sunt electi, de quibus post multam disputationem et altercationem cleri ad utramque partem, dubium magis, vel non clarum fiat, quis ius habeat, per quem potius, quam per ambos concilium congregandum esset? Quia Papaus de hoc, quod sit haereticus vel apostaticus notatus, vel diffamatus, ut est uterque in casu praesenti, concilium congregare debet ad se purgandum. Mandet igitur uterque omnibus fidelium praelatis, ut convenient ad eos per modum concilii, ad aliquem eis locum, ut moris est, assignatum. Aut uterque certas personas eligat, quarum alterutri vel per partes successive convenientium iudicio et determinationi uterque se submittat, et Deus concordiam dabit. Si haec via non placeat, quid prohibet auctoritate totius collegii antiquorum Cardinalium pro congregando concilio super hac

re, principibus temporalibus, praelatis, conductum procurantibus, per universam ecclesiam mandari et intimari. Et si Cardinales hoc neglexerint, vel facere noluerint, licet continue malis peiora accrescant, aliorum praelatorum post eos particularis conventus, de congregando concilio se intromittat. Nunquam enim episcopi non convenerunt ad inquirendum de facto et idolatria. B. Marcellini Papae. Iterum episcopi convenerunt ad iudicandum et deponendum Iohannem Papam XXII. qui conventus non fuit concilium generale, sed solum particulare. Si ergo convenerint huiusmodi concilia particulae, ad iudicandum et inquirendum de veris Papis, quomodo non liceret ad inquirendum de vocatis Papis, de quorum utroque dubium est, quis habeat ius? Adhuc si haec non sufficient, ecce, sede vacante vel in casu, ubi, an vacet, est grande dubium, non minorem auctoritatem et potestatem habet universalis ecclesia, non potesta simul propter nimiam multitudinem convenire, quam si potest, ut circa attestacionem Domini poruit. Igitur quicquid potest, si tota insimul conveniret, nunc per aliquos deputatos a diversis partibus ecclesiae potest. Igitur diversae partes ecclesiae universalis eligere possunt aliquos nomine ecclesiae in unum, per modum concilii conventuros, qui de ecclesia Dei ordinent, et quod dubium in ea est, dilucident. Si dicas quod si aliquae dioeceses et regna nollent aliquos mittere ad concilium generale, respondeatur, quod propter eorum conditionem non est communis utilitas Christi fidelium praetermittenda, imo non credibile audentes dicere. Si multae dioeceses et regna contradicerent generali concilio congregando, autoritas et potestas congregandi illud esset deinde ad alia regna et dioeceses devoluta. Aliis in hoc re-ete sentientibus, quia conventus impediunt christianaee religionis utilitatem, propter quam in nonnullis casibus

pro-

propter Papae auctoritatem concilium videtur licite congregari posse, ut est hodie, dubio existente, an sedes vacet an non? De hoc, quod te non videre dixisti, quod concilium sit generale, attende, non omnem congregationem, quae auctoritate summi pontificis convocatur, generale concilium esse. Alias enim omne consistorium Papae generale concilium foret; sed illa congregatio utique esset generale concilium reputanda, in qua diversae personae, gerentes auctoritatem et vicem diversarum partium totius christianitatis, ad tractandum de communione bono, rite convenirent. Illae autem personae auctoritate vel non sine consensu secularium potestatum mittendae viderentur. Quod enim omnes tangit, ab omnibus tractari et approbari debet. Christus enim non solum est Deus clericorum sed et laicorum. Bene Honorius Augustus sic scripsit ad Bonifacium Papam: si duo forte contra fas et ius temeritate contractum fuerint ordinati, nullum ex eis futurum summum sacerdotem permittimus, sed illum solum in sede apostolica pertransurum censemus, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et universitatis consensus elegerit. Sed quis erit iudex? De hoc quaerit ibi Iohannes Teutonicus, an electio sit contra fas? non ipsi Cardinales, quia sic scilicet essent iudices in proprio facto, nec aliis potest superior inveniri. Dic, ait ipse, istud capitulum locum invenire, quando neuter est electus a duabus partibus. Vel dic, quod concilium convocabitur modo in casu praecipuis electionis, circa quod est dubium, an sit contra ius? supponitur facta a duabus partibus, et per consequens non restat nulla convocatio concilii. Adhuc alias viam attende: ecce fidelium multitudo est in tres partes divisa, scilicet Urbanistas, Clementistas et in dubios seu neutrales. Eligantur igitur duo vel tres de qualibet trium partium, qui collata eis auctoritate eccl-

LXXXIV

fiae per modum concilii convenient, praesens schisma
ablaturi, et convenientius esset, nr pars neutrorum et du-
biorum esset in hoc casu electorum trium valentiorum
de qualibet trium praedictarum partium. Et si hoc non
permittatur, quilibet trium partium eligat dictum nu-
merum de se ipsa, vel duo litigantes pro Papatu eligant,
scilicet Urbanus VI. et Clemens VII. et interveniente fi-
delium oratione Deus dabit pacem ecclesiae suae. Vane
etiam times, ne error novissimus fiat peior priore. Non-
ne scriptum est: ubi duo vel tres congregati sunt in no-
mine meo, ego in medio eorum sum. Numquid dixit
idem mediator Dei et hominum, qui omnia reconcili-
vit, quae in coelo et in terra sunt: alium paracletum mit-
to vobis, qui suggereret vobis omnia, quae debetis facere.
Vbi autem et cui magis suggereret, quam congregati
praedicta intentione rite et devote convenienti? Cur talia
obiicientes Deo non confidunt, sed viam communem et
regiam ecclesiae primitivae consuetam declinantes, suis
novis et modernis adinventionibus, quibus regimen ec-
clesiae timeo magis peioratum quam emendatum, eam
modo ordinare et concordare praesumunt. Timent ex-
pensarum gravitatem, non timent schismatis diuturnita-
tem, imo ab utriusque Papae Cardinalibus semper alio
electo, perpetuitatem, et hac ratione horrenda prius e-
numerata evenire mala, atque ecclesiam verisimiliter su-
am temporalitatem, modo ut praemisi, perdituram.

Explicit epistola Pacis.

